

## LIBER

quinq; sint, necesse est & medicinam nostri magisterij has scilicet adducere in projectione differentias. Per hoc igitur patet, ex quibus medicina nostra eliciatur. Nam per ea elicit, quæ maxime corporibus adiunguntur, & amicabiliter eisdem in profundo adherent alteratia. Ideoq; cum in rebus cæteris exquirentes, non inuenimus inuentione nostra rem aliam magis q̄ argentum viuum corporum naturis amicari: per hoc opus nostrum in illo impendentes, reperimus ipsum esse veram alterabilium medicinam in complemento, cum alteratione vera, & non modice peculiosa.

### QVINTVM DO- cumentum.

**R**estat igitur nos substantiam ipsius & proprietatis substantiæ differentias determinate adscribere. Et cum non inuenerimus ipsum sine alterationis naturæ illius administratione mutare inuenimus & similiter ipsum preparari debere necessario: cum nõ permisceatur in profundo, absq; illius præparationis modo. Et est scilicet, vt talis fiat illius substantia, q̄ permisceatur in profundo, vsq; ad profundum corporis alterabilis, sine separatione in æternum. Hoc autem non fit, nisi subtilietur valde cum præparatione certa & determinata in capitulo sublimationis. Et non permanet eius impressio similiter, nisi figatur: nec illustrat, nisi fulgidissima ex illo eliciatur

substantia, cum sui modi ingenio, & modo suæ operationis per ignem congruum. Et non præstat fusionem perfectam, nisi in illius fixatione adhibeatur cautela, cum hac dura remollire & mollia indurare. Est tamen talis, vt cum sufficientia seruetur suæ humiditatis proportionatæ, secundum exigentiam eius quæ queritur fusionis. Per hoc ergo patet, q̄ ipsius talis præparetur et administretur præparatio, qua fulgidissima et mundissima substantia ex illo creetur. Deinde vero figatur, et cautela eidem exhibeatur, vt scilicet exercitetur artifex in administratione ignis, in modo suæ fixationis, quo possit ex illo deleri humiditas, in tantum, q̄ sufficiat ad fusionem perfectam complendam. Et est scilicet, vt si quæris per hanc corpora fusionis dura mollificari, in principio suæ creationis lentus adhibeatur ignis. Ignis enim lentus humiditatis est conseruatiuus, & fusionis perfectiuius. Si vero mollia indurare, ipsius componatur ignis vehemens. Talis enim ignis humiditatis est consumptiuus, & fusionis turbatiuus. Et has quidem regulas omnes in omni medicina bonæ mentis artificem necessario cõsiderare expedit. Et multas similiter alias in ponderis mutatione considerationes adducere necesse est, cum causis suis & ordine congruo. Est igitur causa ponderis magni, subtilitas substantiæ corporum, & vniformitas in essentia. Per hoc enim tantum illorum possunt densari partes, cum nihil interciscat: & partium densatio ponderis est adductio, & illius perfectio.